

opusdei.org

**Breve Apostólico
Mirifice de Ecclesia,
por el que Su
Santidad Pío XII
concede diversas
indulgencias a los
miembros de la
Sociedad Sacerdotal
de la Santa Cruz y
Opus Dei; 20-
VII-1947.**

“El itinerario jurídico del Opus Dei. Historia y defensa de un carisma”. Libro escrito por A.

de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

17/01/2012

AGP, Sezione Giuridica, IV/15094.

PIVS Pp. XII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Mirifice de Ecclesia merenti Instituto, quod, SOCIETAS SACERDOTALIS SANCTAE CRUCIS ET OPUS DEI nuncupatum, in eiusdem Ecclesiae gremio e parvulo genitum semine brevi tempore crevit frondosae arboris instar, laudatam itemque laudandam propter operam eius fundatoris ac supremi Moderatoris, dilecti nempe fui IOSEPH MARIAE ESCRIVA DE BALAGUER ET ALBAS, Nostri Praelati Domestici, Nos per similes Apostolicas Litteras, in festo SS. Cordis Iesu, superiore anno, sub

anulo Piscatoris datas, propensam
voluntatem dilectionemque Nostram
praestitimus, large effuseque
caelestibus Ecclesiae thesauris a
Nobis donatis Sodalibus dictae
Societatis, ut haec "potiora caperet,
opitulante Deo, incrementa". Quo
autem erga tam navam
industriamque Societatem
benevolentia Nostra magis perspecta
sit, strenuo eius labore pro Dei gloria
animarumque salute perpenso,
attentisque copiosis fructibus per
integrae vitae sanaeque doctrinae
Sodalium apostolatum, iam ab
eisdem multis in locis perceptis, Nos
SOCIETATEM SACERDOTALEM
SANCTAE CRUCIS ET OPUS DEI
Decreto Laudis diei XXIV mensis
Februarii vertentis anni
honestavimus, Dilectumque Filium
Nostrum Aloysium Sanctae Romanae
Ecclesiae Presbyterum Cardinalem
Lavitrano ipsius Sodalitatis
Patronum, seu Protectorem apud Nos
et hanc Apostolicam Sedem elegimus

et constituimus. Cum vero + atque
essentia simulque peculiare OPERIS
DEI finis sanctificatio sit labore
cotidiano conquirenda; eiusdemque
Sodales in liberalia opera
incumbentes peramplis spiritualibus
indulgentiarum muneribus sint
decorati, Nos, curam de omnibus
Sodalibus agentes praecipueque de
illis quae Sectionem mulierum
constituunt et, adhuc spe atque
animo praesertim de illis cogitantes
quae Inservientes nuncupantur,
quaeque "ad exemplum Domini, qui
ministrare venit et non ministrari
(Math. XX, 28), et Beatae Virginis
Mariae Ancillae Domini (Le. 1, 38),
vera humilitate et caritate actae,
manualia et domestica ministeria,
quae Marthae dicuntur, interiore
Mariae spiritu animatae, gaudentes
exercent" (Ex Decreto Laudis verba
istaec excerpta sunt), ut OPERIS DEI
Sodales, igitur, semetipsos magis in
dies sanctificare atque animabus
Christifidelium igni detentis

subvenire possint ac solamen afferre,
benigne annuendum censemus
precibus dilecti filii ALVARI
Sacerdotis DEL PORTILLO ET DIEZ
DE SOLLANO, Doctoris, Procuratoris
Generalis eiusdem Instituti.
Quapropter Nos, Apostolica Nostra
Auctoritate, harum vi Litterarum,
omnibus et singulis utriusque sexus
Christifidelibus, nunc adlectis vel in
posterum ipsam in Sodalitatem sive
Opus adlegendis, qui, saltem corde
contrito, cotidie, per integrum
mensem, in manualibus operibus
suscipiendis ac perficiendis aliquam,
vel brevem, precatiunculam vel
invocationem devote recitaverint,
PLENARIAM INDULGENTIAM, suetis
sub condicionibus lucrandam,
misericorditer in Domino
concedimus. Praeterea supra
memoratis Sodalibus, quoties, saltem
corde contriti, in praedictis operibus
navandis, precatiunculam
ve; invocationem pie
pronuntiaverint, toties

quadringentos dies de iniunctis eis,
seu alias quomodolibet debitis
paenitentiis in forma Ecclesiae
consueta relaxamus. Denique
largimur Sodalibus iisdem liceat, si
malint, Plenariis hisce ac partialibus
Indulgentiis functorum vita labes
poenasque expiare. Contrariis
quibuslibet nihil obstantibus.
Praesentibus perpetuis futuris
temporibus valituris.

Datum Romae, apud Sanctum
Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX
mensis Iulii, anno MDCCCXXXVII,
Pontificatus Nostri nono.

DE SPECIALI SANCTISSIMI
MANDATO

Pro Domino Cardinali a Secretis
Status

L + S Dominicus Spada

a Brevibus Apostolicis

A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

pdf | Documento generado automáticamente desde <https://opusdei.org/es-es/article/breve-apostolico-mirifice-de-ecclesia-por-el-que-su-santidad-pio-xii-concede-diversas-indulgencias-a-los-miembros-de-la-sociedad-sacerdotal-de-la-santa-cruz-y-opus-dei-20-vii-1947/> (20/03/2026)